

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioannis Ionstoni|| Theatrvm|| Vniversale Omnivm|| Animalivm|| Insectorvm

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLXVIII.

VD18 90529197

Illustration: Tab. XXI. Erucae. Raupen. Aldrov [...]

urn:nbn:de:gbv:45:1-11095


Eruca

Raupen


Aldrov

Tab. XXI

Tab. i




Tab. 2




Erucarane9


Tab. 3



Tab. 4



Tab. 5



Vermic. Dipfaci

norum tessellato prodit corpore, ex nigro flavoque varius: spinae luteae videntur; ineunte autumno in aureliam cineritiam vertitur. *Secundus* revera Echinum prae se fert; dorsi dimidia pars, prior nempe, ex flavo nigricat; posterior cum flavedine albescit; spinas gerit argutas valde et crassas, colore caesio.

Rubicola nigro cineream liris utrinque tribus pallide flavescens pilos rariores gerit, plane nigros.

Est et *Ceraistes* cujus varia loca e luteo virent, pili medio dorso nati canescunt; cornu vero crenatum rubescit.

Variae item in verbasco, lupulo, Scrophularia, Glycypira, Solano, Alno, ulmo, ocymo et Tithymallo nascuntur: imo quaevis paene herba peculiarem habet erucam vastatricem: quas, ne infinitus videar, quasi notas pertransio.

Gesneri *foetida*: Erucae cornutae simillima est, sed et cornis, et colore aliquantum discrepans. In muro repentem cepi exeunte Augusto

Anno 1550. Gravem spirat odorem, ut plane venenatam crederes. Iracunda perrexit capite cum anterioribus duobus pedibus semper erecto; coecam puto: digitum longa et crassa, paucis sparsim pilis per dorsum et latera horrescens, dorsum nigricat. Ventris laterumque color ex flavo subrufus: internodiis quatuordecim totum corpus distinguitur. Singula internodia sulcum insuper quendam ceu rugam per dorsum habent: caput illi nigrum, duriusculum; os forcipatum, denticulatumque vel ferratum: his forcipibus, quicquid comprehendit, mordet: pedibus 16. graditur, ut maximam partem omnis Erucarum natio procul dubio venenosa est. Vergerus Pityocampen putavit, alii scolopendram: sed pedum numerus non patitur scolopendram dici. Vix ferebam odorem, dum vivam describerem: duo hypocausta nimio et abominabili foetore adeo infect, ut manendo ferendoque non essem. Haec Gesnerus.

ARTICVLVS III.

De Erucis Aldrovandi.

PUNCTVM I.

De Erucis primae Tabulae.

Aldrovandus sex diversis tabulis nobis diversa Erucarum genera exhibet. In prima novem exhibet.

Prima primae tabulae ex maximis est, et caudata, cauda nimirum instructa sursum revoluta: tota est lutea, annulis vero coeruleis, iisque triangularibus, inter quorum singulas singula ab utroque latere nigra sunt puncta. Os item nigricat. Cum eam aliquo tempore domi aluissim, telam non texuit, aut folliculum, sed in Chrysalidem immutata Papilionem progeneravit luteum, eum quem in prima Papilionum tabula tertium exhibuimus.

Secunda quae ejusdem est magnitudinis, identidemque caudata, le-

viter lutescit, subfusca tota, nigerimis punctis, ac annulis instructa.

Quarta ex mediocrium genere, etiam caudata est, ad latera sublutea, per tergus flexibus arcuatis coloris elegantissimi miniacei decorata, annulis vero nigris, sed qui candidis notentur punctis.

Tertia caudam habet in extremo acutissimam tota viridis, annulis nigris, pedibusque, qui sunt quatuordecim: Brassicas, et olera infestat, ex hoc potissimum genere Papiliones illi exiguo corpore progenantur, subvirides et albicantes. Papiliones enim erucarum suarum colorem fere reservant, ut Aristoteles quoque testatum reliquit.

Qq 2

Quinta